

*Quid possit virtus, et quid sapientia possit,  
Vtile proposuit nobis exemplar, Ulysses;*

HOMERVS:

FLACCO iudice.

**E**odem, imo vero potiore, iure, hoc elogium incomparabili VATERORVM nostrorum pari, ABRAHAMO, scilicet, et coniugi viduae, CHRISTINAE MARIAE MARPERGERAE, tribuas. Enim vero, quid religio, pietas, virtus, sapientia, possint, vtile, imitabile, nobis proposuerunt exemplar: Sic denuo, *Quos imitemur, habemus.* Quem potissimum in finem prima isthaec, ab Ordine Medico nunc indicanda, pietatis solennia, celebranda sunt.

Nimirum memoriam eius diei, qui ABRAHAMO VATERO, Viro Celeberrimo, Doctore et Professore Medicinae Primario, de hac nostra Academia immortaliter promerito, ante hos septem et viginti annos emortualis, nobis ipsis autem maxime luctuosus, contigit, ex instituto Viduae, Matronae Sanctissimae, CHRISTINAE MARIAE MARPERGERAE, ante hos quatuor cum dimidio annos, placida beataque morte Maritum consequutae, pie grateque recolendam habemus. Viget adhuc incolumis, prosperiusque deinceps vigebit, memoria Collegae desideratissimi, donec bonis litteris, omninoque Arti nostrae Salutari, suus constabit honos; nostraque, adeo, post Hofmannos ac Weickhmannos, Oratores nostros disertissimos, repetita commendatione non indigebit *Dignos, scilicet, laude viros Musa vetat mori; Coelo Musa beat; et numquam Stygias fertur ad undas Incluta Virtus.*

Hoc potius, loco hoc omnium maxime opportuno, agamus, quod nondum ante tentatum est; cum Mariti memoria, memoriam Comparis incomparabilis, numquam satis commendandam, coniungamus; et, quae in nos VATERIA nostra contulit

A 2

amplissi-